

tari & dignoscere omnia omnium suspiria, gemitus, desideria: imò veram à simulata & hypocrita invocatione. Id quod nihil est aliud, quam honorem & idioma soli Majestati divinæ debitum per detestandum sacrilegium, creaturis tribuere.

47. Et edisserant nobis Romanenses, num hoc sit compellare an verò invocare Mariam & Sanctos reliquos, quando Papa Innocentius eam jubet invocare, ut portum salutis, ut desperatorum spem vnicam, ut peccatorum salvatricem magnificam: quando item Conciliabulum Tridentinum, mandat Episcopis, cæterisq; docendi munus sustinentibus, ut doceant, bonum atque utile esse, suppliciter invocare Sanctos & ad eorum orationes, Opem, auxiliumq; confugere: quando idem Conciliabulum sancit, eos impios esse, qui negarint, Sanctos in cælo regnantes voce vel mente supplicare. Sess. 25. sive sess. 9. sub Pio IIII. habita. d. 4. decemb. Anno. 1563.

48. Neminem profectò tam ab omni ratione alienum, tam stupidum, rudem & bardum iudicari, qui non intelligat longè aliud & diversum esse, compellare vel alloqui Sanctos, sicut in his terris alter alterum alloquitur: aliud verò suppliciter eos invocare, & quidem non voce duntaxat, sed & mente, item, ad eorum Opes auxiliumq; confugere.

I y 3

Cæterum: